


Poppies:
De impercepta grauim
seruimus in sciam circa
alendis obligatio.





9.
SPECIMEN IVRIS CONTROVERSI
DE
IMPERFECTA
FRATRVM SORORVMQVE
AD SE INVICEM ALENDOS
OBLIGATIONE

A V T O R E
FRIDERICO POPPIO
IVR. VTR. LIC.



Hd. 456

NORIMBERGAE
PROSTAT APVD I. G. SCHNEIDERVM

I 7 8 I.

20.3.06.



SCHEINEN IARS CONTROVERSI

DE

IMPERIECTA
HARTUM SORORUM
AD SE INVICEM AFRICOS
OBELIGATIONE

ATRAT
LUDERICUS POTERI

LIV. AT. LIV.

NONIMPRESS
MULCA TATTOON

85

30. 1821



INCLVTAE
SACRI ROMANI IMPERII
AC LIBERAE
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
SENAT VI
SPLENDIDISSIMO
SACRVM.

INCIPIT
SACRA LITERATURA
AC THESAURUS
REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
SENATI
SPLENDIDISSIMO
SACRARI



PRO O E M I V M.

A uate, ^{a)} qui: sola Deos aequat clementia nobis olim ce-
cinit, num uera dicta sint, nullus sane bonus uocabit in du-
biū; nullus, qui sibi potest persuadere, haud esse animi
commotionem dulciorem umquam ea, quam sentit, qui infe-
lici, uariis miseriis cruciato et fato inexorabili fere iam iam
succumbenti auxiliatrices praebuit manus, simulque patriam,
familiam, amicos, optimo redonauit ciue, patre atque amico.
Certe, si hoc diuinum quasi non est, magis diuini quid nescio.
Sed omnino, ut ab officiis humanitatis praestandis omnis sit a-
lienā externa coactio, ob hominis imperfecti naturam, quam
ab incunabulis corruptam perditamque culpant, necesse uide-
tur. Abhorret enim hominis animus a quoconque impetu huius,
qui, beneficus esto! ore minaci iubet, multo magis, si mandan-
tem fortasse omnem beneficiendi occasionem, angue uel ca-
ne peiorem effugere, ipse animaduerterit. Deinde si SENE-
CAE ^{b)} assentimur de beneficiorum praeftatione dicenti, in

A

bene-

beneficio spectandi semper sunt mores eius, cui datur, et animus erga
 nos, et coabitatio, et uitae societas et ad nostras utilitates officia
 ante collata: quis, si nullum horum in petente inueniendum,
 quaerendum ne quidem, si pessimis moribus; si infesto erga
 nos laborat animo; si (ut taceam ad nostras utilitates collata
 et conferenda officia) tristissima cum eo coabitatio uitaeque
 societas; si nullus bonus ex accepto beneficio effectus exspe-
 standus; quis, inquam, hominem carpet, miserum sorti suae re-
 linquentem? Sane hisce perspectis sapientissimi legumlatores
 humanitatis officia uniuscuiusque liberae uoluntati indulserunt
 exercenda, contemplantes, paucissimos egenos beneficio, fal-
 tem maiori, dignos, ipsamque dignitatem maximo semper
 negotio indagandam, ciuesque, quibus lex, de beneficentia ab-
 solute tribuenda, lata, interdum quidem huic parituros, sed
 simul dolorem primum uultu tecturos, postea autem, introdu-
 eta eiusmodi sanctione, difficillimos oriri posse exitus, uariis
 conatibus esse ostensuros. Rite itaque actiones ex hominum
 misericordia manantes et hodie obligationibus accentur,
 quas neque lex iuris ciuilis neque ius naturae externum sua-
 det, quas et fuscipere et praetermittere possumus, quasque
 ideo imperfectas appellamus. Ad has ego quidem *confanguineorum*, fratum nimirum et sororum, ad se inuicem alienos
 obligationem refero, quamuis mihi penitus aduersentur
 maximi nominis Iure Confulti, in quibus honoris cauſa no-
 minare

minare licebit BERGERVM, c) PVFENDORFIVM, d) LEYSERVUM, e)
 STRYKIVM, f) STRVVIVM, g) LAVTERBACHIVM, h) BOEHME-
 RVM, i) SANDIVM, k) SVRDVM, l) COLERVVM, m) TVSCHIVM, n)
 CARPZOZIVM, o) HVBERVM, p) MENOCHIVM, q) RENNEMAN-
 NVMque; r) quorum coaceruatae auctoritates cum confide-
 randae mihi uenerunt, calamum, profiteor, haud satis exer-
 citatae manui saepius dolui elapsum, quod in primis tantorum
 uirorum sententiae communem s) constituerunt opinionem,
 firmam nominum clypeo et stabilitam. Ast opportuno tem-
 pore quum perspicarem primo, omnes illos sine lege locutos,
 deinde, plurimos uel absque ullis uel adiectis mere insuffi-
 cientibus et facile remouendis rationibus antecedentium ue-
 stigia esse secutos, porro, omnes opiniones communes ab ini-
 tio fuisse singulorum, nullamque opinionem umquam ius fa-
 cere, potius ad eas haud raro applicari posse illud ZASII, Iu-
 re Consulti: *communis opinio, ergo falsa: magna cura liberatus*
 sum, animoque (quem praeterea instigabat urgens aliqua ne-
 cessitas) coepi magis uacuo ac soluto nihil aliud, nisi de per-
 ficienda disquisitione agere et cogitare, quae uiam illis plane
 contraria ingredetur, atque tribus capitibus absoluatur,
 si scilicet horum *primum*, ius naturae ignorare perfectam fra-
 tris fratrem sororemque alendi obligationem, ostenderet; *se-
 cundum*, ex iure ciuili deductum, hanc obligationem peni-
 tus annihilaret simulque, omnes huc usque ad firmandam con-

triam sententiam adductas leges optatum numquam nancisci posse effectum, doceret; tertium denique, cuinam onus alendi imponendum, explanaret atque disquireret. Ut autem omnibus numeris absolui a me possint haec capita, neque iuuenilis scientia neque exiguum temporis spatium permittit, quare iudicium de meis laboribus, haud juris rigore, sed pratoria aequitate poliens posco et de hoc lectorem decenter rogatum uolo,

- a) CLAVDIANVS, in 4. Honorii consulatum.
 - b) SENECA lib. 3. de benefic.
 - c) I. H. DE BERGER, Oeconom. Iur. p. 152. not. 15.
 - d) F. E. PFEENDORF, obseruatt. iur. uniuersit, Tom. 4. obs. 166. §. 13.
 - e) A. a LEYSER, meditart. ad Pand. spec. 325. med. 2.
 - f) I. S. STRYV, Vf. modern. lib. 25. tit. 3. §. 22.
 - g) G. A. STRV, syntagma iur. ciuil. exerc. 30. §. 7.
 - h) W. A. LAVTERBACH, Coll. theor. pract. lib. 25. tit. 3. §. 14. EIVSD. diss. de singulari frarum iure. Parte 2. §. 20. sqq.
 - i) I. H. BOEHMER, introd. in ius Digestor. lib. 25. tit. 3. §. 9.
 - k) I. a SANDE, deciss. Frisic. lib. 2. tit. 8. def. 2.
 - l) I. P. SVRDVS, de alimentis tit. 1. qu. 25.
 - m) M. COLERV, de alimentis lib. 1. c. 9.
 - n) D. TUSCHIUS, practicar. conclusif. Tom. 1. concl. 285.
 - o) B. CARPOZ, disputatt. Histor. Pol. Iurid. disp. 2. c. 7. pos. 35.
 - p) V. HVBER, paelecti. iur. ciuil. Tom. 2. lib. 25. tit. 3. §. 8.
 - q) I. MENOCHIVS, Consilia, conf. 433. n. 19. et 23.
 - r) H. RENNEMANN, Iurispr. Romano - Germ. Tom. 2. disp. 39. §. 44. sqq.
 - s) HVBER cit. loco.
 - t) HORATIVS, Satyr. 3. lib. 1.

I. Ius naturae uariis quidem modis definitur, magis uariis explicatur, ideoque multis est scientia pro cuiusque libitu mutabilis atque ad quemuis hominum uoluntatem accommodanda, ut uno uerbo omnia comprehendam, non nisi humano capti iuncta equina ceruix, somnium aegri, agnos geminans tigribus, serpentibus aues. ²⁾ Mihi quidem ius naturae nil aliud est, quam complexus iurium atque obligationum, concernens homines uel extra societatem ciuilem, uel in eadem, lege tamen positiva deficiente, consideratos, determinandus maxime ex norma: *Neminem laedas.* Praesens caput secundum hoc ius naturae absoluendum erit.

²⁾ Quae uenerandi senis ill. DE MOSER de iure naturae sententia sit, euolue: *Versuch des neuesten Europaeischen Voelkerrechts in Friedens- und Kriegszeiten*, 1r Theil, §. 3. der vorlaeufigen Abhandlung von den Normen ecc.

§. 2.

Omni ad alendum obligationi fundamento est *pactum*, quod uel *expressum* esse potest, uel *tacitum*. Illud ex contrahentium uoluntate uerbis declarata oritur et per se manifestissimum est, hoc ex *fatto* ab altera parte admissio, sive licito, sive

A 3

illicito

6

illicito ortum trahit; quo^r fit, ut praeter alia inde deducatur
alimentatio ab omnibus sociis rectori societatis, a coniuge
coniugi, a domino seruo, a parentibus liberis, a mutilante uel
occidente mutilato uel eius et occisi uxori liberisque praec-
stanta. Quaevis autem haec alendi obligatio supponit alien-
dum, qui ex suis facultatibus ipse se exhibere non potest.

§. 3.

Factum, ex quo coniuges ad liberos suos alendos obstri-
cti sunt, in generatione consistit, atque ex isto generationis
facto etiam ad eos educandos obligantur. Factum ipsum ex
iis exigit SOCIETAS, quae, ne uacua ac diruta fiat, iure optimo
iis imponit, ut de aliis sociis in ipsorum locum uenientibus
curent; iubet porro cibi potusque praestationem tamquam
accessorium, et, quum ad conseruandam societatem idoneis,
quod ad corpus et quod ad animam, opus sit sociis, omnino
etiam requirit, ut apta et commoda educatione, necessariis
uestibus, habitatione et medicamentis liberi haud destituantur.
LIBERI uero, ad se ipsos conseruandos ius perfectum habentes,
omnino ui huius iuris a parentibus, quippe qui ex generatio-
ne, ut in societatem uenirent et recuperentur, uoluerunt, po-
tum et cibum desiderant, et, ne a sua perfectione, sibi quid
detrahatur, (quod dubio procul laesio esset) simul etiam edu-
cationem, uestimenta, tectum ac medicinam exspectant. Haec
coniug-

coniugum obligatio fortior redditur, si consideramus, hos cum liberis peculiarem cōstituere societatem, FAMILIAM scilicet, quae, cessante alendi educandique obligatione, etiam cessare deberet.

Sequitur ex his facillimo negotio, ut parentum obligationes ad alendam educandamque prolem tunc desinant, si liberos status eius compotes fecerunt, in quo ipsi sibi de uitiae necessariis prospicere ^{a)} finique societatis uniuersalioris respondere queant; deinde autem, ut nullo modo hae parentum obligationes reuiuiscere, potius omnia subsidia, quae postea liberis exhibent, non nisi sub nomine beneficiorum uenire possint.

^{a)} Contentit GVNDLING in iure naturae et gentium, c. 20. §. 67.

§. 4.

Quo prolixius egi de parentum obligatione, eo concinnior esse poterit tractatio consanguineorum collateralium obligationem remouens, si, quod uerissimum est, uerum accipiamus, nempe, hanc consanguineorum obligationem, (si qua esset) tunc demum, si parentes uel ciuiliter uel naturaliter, nullis facultatibus relictis, mortui, liberis succurrere non possunt, incipere, siveque eos in hoc casu solummodo parentum uices gerere debere. Haec enim sunt, quae me ducant ad scopum meum perficiendum.

§. 5.

Is, qui alius uices gerit, ad ea facienda est obstrictus, quae ille, pro quo gerit, facere debuisset, neque ultro obligatur: unde manifestum est, etiam ex isto principio uicis gestione fratrem omnino liberatum esse ab alimentatione eorum consanguineorum, quos parentes eo perduxerunt, ut de uitae necessariis sibi ipsis prospicere possent; nihilque, quum parentum obligatio numquam reuiuiscat, (§. 3.) referre, si etiam eo postea sint redacti, ut sibi alimenta desint idonea.

Sed quid de iis consanguineis habendum, quibus ius alimenta et educationem a parentibus exigendi adhuc uiget? Certe quidem ex adlato uicis gestione principio haud dubitandum esset, quin frater eos alere et educare deberet: ast inquirendum est, num rationes praesto sint, ex quibus filius ad gerendas has parentum uices cogi possit? Nullas ego quidem inuenio; semper enim hoc principium laesionem uel diminutionem bonorum consanguinei alentis inuolueret, quae concedenda non est, siquidem hic neque conventione, neque facto, illi ansam praebuerit; quo etiam sit, ut omnem obligationem respuere queat. PARENTES enim mortui filio alimentationem consanguineorum praecipere haud potuerunt, quia nulla eis erat, de bonis filii propriis disponendi, facultas; porro

porro SOCIETAS, cui denati parentes liberos non educatos a-
lendos reliquerunt, etiam nullum ius socium suum, alendis con-
sanguineum, cogendi habet, quum parentes obligationi libe-
ros procreandi, satisfecerint, et quamvis hoc imperfekte fa-
ctum sit, tamen iniustum esset, filium educatum, qui omni cul-
pa uacat, ob obligationem, quadam tantum ex parte a parenti-
bus impletam, multare et generatim factum parentum filio
imputare. Cum deinde frater educatus haud effecerit, ut
procreati sint consanguinei, illumque non oporteat factum
parentum sua pecunia luere, neque ideo non alendo istis quid
de sua perfectione detrahatur, non potest non sequi, ut CON-
SANGVINEIS IPSIS, tamquam liberis defunctorum parentum
consideratis, omne ius a fratre posendi alimenta atque educa-
tionem deficiat. IVRIS denique FAMILIAE ratio alia est pa-
rentes obstringens, alia conuincens liberos, quid? quod pa-
rentibus mortuis haec, quae inter ipsos et liberos erat, pecu-
liaris societas soluatur, liberique in uniuersaliorum transplan-
tentur.

§. 6.

Si amor erga alterum alendi obligationem producere pos-
set, forsan oriretur quaestio: numne ex *praesumto* consanguineorum
amore erga se inuicem, fratris obligatio nascatur? In
hypothesi adeo quaestionem negare audeo. Causam suppeditant
iam uerba LVCANI: a)

B

— — ne

— — ne longe — exempla petantur,
fraterno primi maduerunt sanguine muri!

Simili modo ad fratrem cogendum haud applicari poterit famigeratissima illa *sanguinis necessitudo*; cum plus iusto ideoque nihil probet. Si enim filius naturalis, qui absque dubitatione est consanguineus, a filio legitimo alendus esset, primum, ne huic iniuria fieret, computari deberet, quantum uel pater uel mater ad eius procreationem attulerint, atque ex ista de num computatione, reor, esset iubendum, quantum legitimus alendi obligationis haberet, quamuis hac ratione nullo modo caturi possit, ne filius legitimus ob patris delictum laedatur.

2) LUCANVS: *de bello ciuili*: lib. I.

II.

§. 7.

Bene quidem res suas egisse remque acutetigisse, legum interpres fibi ipsi persuadent, si post latam sententiam, fratrem fratri ad alimenta obstrictum esse, leges ex utroque iure proferunt, quae huic, palladii instar, protectionem augurari uidentur grauissimam: et quamvis etiam sint, 2) qui leges istas insufficientes quidem ad fratrem cogendum declarent, tamen com-

communis opinonis numine fisi, priorum sententiae suffragantur. Communis opinio, postquam, quid de ea plerumque habendum sit, eruditissimi edixerunt viri, numquam certe ueritati, et si singularis sit, derogare potest: sed magis aduersari uidentur nobis leges, quibus illa huc usque firmata fuit sententia. Inuabit itaque hasce sigillatim in ius vocare, atque instituta ac finita de iis cognitione, singulis imperii, quo usque polluerunt, indicere proscriptionem.

a) HVBER. *praelectt. iur. civil.* Tom. 2. p. 1220.

§. 8.

Primo loco considerandum uidetur responsum quoddam IULIANI, quod ex eius *Digestorum libro 21.* in Pandectas ^{a)} receptum est. Iure Consultus ibi proponit historiolam huius tenoris: *Qui filium heredem instituerat, filiae dotis nomine, cum in familia nupsisset, ducenta legauerat, nec quicquam praeterea, et tutorem eis Sempronium dedit. is a cognatis et propinguis pupillae perductus ad magistratum, iussus est alimenta pupillae et mercedes, ut liberalibus artibus institueretur, pupillae nomine praeceptoribus dare.* Fecit hoc tutor et pubes factus pupillus puberi iam factae sorori suae, ducenta, legati causa, soluit. Posthaec orta est quaestio, num tutelae iudicio consequi possit, quod in alimenta pupillae et mercedes a tute ex tutela praefitum sit? Et Iuliani responso talis fuit: *Existim, et si citra magistratum decretum tutor sorem*

rorem pupilli sui aluerit, et liberalibus artibus instituerit, cum haec aliter ei contingere non possent, nihil eo nomine tutelae iudicio pupillo aut substitutis pupilli praestari debere.

Equis non uidet, hanc responsonem nullo modo decisionem esse quaestionis, num pupillus ad sororem alendam sit obligatus? potius, Iure Consultum statuisse, pupillo iam puberi facto, actionem tutelae contra tutorem, qui pupillam aluit, haud competere? Aequitate quidem et iure adnuente actio non competebat. Tutor enim omni culpa caret, siquidem secundum magistratum iussus alimenta et mercedes praestit, et profecto, etiam citra magistratum decretum hocce factum nocium tutori esse non poterat, quum leges (mox explicandae) illi permittant, nonnumquam exteris, b) in specie autem sorori, quae ipsa se sustinere non potest, c) alimenta praestare, et quidem ex ratione adiecta, cum nemo feret pupillum aut substitutum eius querentes, quod tam coniuncta persona alita sit. d)

a) l. 4. ff. ubi pupillus educari uel morari debent (27. 2)

b) l. 12. §. 3 ff. de administr. et peric. tutor. (26. 7)

c) l. 13. §. 2. ff. tit. eod.

d) l. 1. §. 2. ff. de tutelae et ration. disfrab. (27. 3)

§. 9.

Certissimum itaque est, Julianum solum ad illustrandam suam responsonem narrasse caussam, quae illi ansam praebuit,

buit, atque ideo iussus etiam magistratum meminisse, ^{a)} eo tendentis, ut alimenta et mercedes, quibus liberalibus artibus instituantur, pupillae soluantur: sed e contrario etiam hoc certum uidetur, causam omnino adesse debuisse, cur magistratus tutorem inuitum ad alimenta pupilli sorori praestanda coegerint. Haud longe quidem aberit haec causâ, cum initium Iulianae narrationis doceat, filium ex aſſe inſtitutum, filiae contra legatum tantum, et quidem tunc demum, *cum in familia nupſiſſet*, relictum fuisse: ast, si, num nobis proſit an non? determinandum est, neceſſe erit, uetus toris iuris romani ſacra breuiſſimis adire, et quae inde haurienda ſunt, haurire.

a) Cf. candidissimi nominis Iure Consultum, F. BEHMERVM, in novo Iure controverſo, Tom. 2. obs. 150. qui etiam in uniuersum pro hac, quam nos defendimus, assertione pugnat.

§. 10.

Verto me itaque ad Iuliani tempora, modumque succedendi ante illa communem, in iis uero, (ut maxime uidetur ^{a)}) non plane inuitatum, eum nimirum, quo feminae, ſive filiae fuerant, ſive extraneae, ab omni hereditate, ſive ex testamento percipienda, ſive etiam ab intestato conſequenda arcebantur. Modus hic maxime diuersus erat ab anteriori et, quem hodie in iuris corpore inuenimus, posteriori fuccedendi ordine. Initio enim urbis conditae, tam feminas quam masculos absque diſcrimine ad hereditates admifſos ſcimus, ^{b)} quam

B 3

quoque

quoque admissionem confirmare XII. Tabularum conditores non dignati sunt; ^{c)} mirum certe, cum inter omnes constet, istas leges maxima ex parte ab Atheniensibus petitas fuisse, hos autem non nisi in casu deficientium legitimorum marium, hereditates feminis adiudicasse. ^{d)} Sic res erant, usque dum Romani, perpetuis patriciorum cum plebeii litibus prudentes facti, sibi quoquis modo prospicere ceperint, et, cum bene intellegent, feminam finem esse familiae, id est, eas paternum nomen et memoriam ultro extendere non posse, contra uero, cum in aliam plerumque transirent familiam, paterna uel auita patrimonia in eam, in quam nupsissent domum, duci, siveque familiae paternae opes maxime debilitari, ^{e)} maluerint, ut feminae ab omni hereditate essent exclusae, haecque gentilibus deferretur, ^{f)} atque sic familiarum splendor seruaretur. Hoc, quod eo magis necessarium erat, quo maiora iura opulentia procreabat, ^{g)} quoque fortius, sublato per legem Canuleiam, ne patricii et plebeii in matrimonium se inuicem ducerent, praecepto, patricii contendebant per nuptias cum plebeii horum facultates simulatque potentiam diminuere; hoc, inquam, instigasse uidetur Q. Voconium Saxam, plebis tribunum, ut anno ab urbe condita 584. ferret rogationem, fancientem: ne in posterum, qui post A. Postumium, Q. Fulium census eset, neque uirginem, neque mulierem heredem faceret. ^{h)} Sed ipsa haec lex Voconia, ⁱ⁾ quamuis in femineum saeuire

uide-

uideretur sexum, tamen permisit, ut feminis legatum quoddam, ipsa lege determinatum, relinqueretur. Legatum itaque plerumque dotis nomine relinquebatur; nullo autem scripto, ne filiae hereditatis paternae plane essent expertes, a successore patris innuptae ali debebant, ^{k)} cumque nuberent, dote data dimittebantur.

Ex hactenus dictis nemo non facilissime dijudicabit, fratre pupillum, de quo in adducta l. 4. ubi pupillus sermo cinatur Iure Consultus, ex ea solum ratione ad alendam foro rem pupillam obstrictum a magistratibus fuisse, cum uniuersum patris patrimonium ex legis Voconiae reliquiis ad eum spectarer, foror contra legato tantum, dotis nomine, contenta esse deberet, ^{l)} et tunc denum legati dies existeret, cum in familia nupisset; cui praeterea adiectae conditioni numquam satisfacere potuisset, nisi alimenta et mercedes pro praceptoribus frater uel eius tutor ei praestitisset. Summa profecto aequitas summumque ius respondent magistratum decreto, si praesertim accedit, fratri tutorum, si alimenta et studiorum sumtus denegasset pupillae, omnino impediisse, quo minus haec conditionem legato iunctam impletret; quod autem per quam noxiū expertus esset et tutor et pupillus, legibus nimirū fancientibus, in hujusmodi casu conditionem pro impleta esse habendam. ^{m)} Licebit itaque concludere: cum plane singularem caussam l. 4. ubi pupillus

com-



contineat, eam ad nostra tempora, ubi, si feuda excipias tan-
tum non omnia, non nisi in nobilium illustriumque successio-
nibus, quibus pacta dant legem, reperitur, plane non adpli-
cari, potius, pari cum filiis filiarum successionis iure intro-
ducto, omnino cessare debere. n)

- a) Hoc, quidquid ab aliis dicatur, omni violentia reiecta ex ipsis Iuli-
naci fragmenti uerbis cogi potest.
- b) DIONYS. HALICARNASS. l. 2. edit. Sylburg. p. 95.
- c) §. 3. l. de legit. agnator. success. (3. 2.)
- d) Quod constat ex ISAEI orationibus, orat. 6. 9. et 10. nec non ex DE-
MOSHENIS oratione secunda in Stephanum testem. Hebraeos simili
modo, si filii patribus erant, filias exclusisse, quem NUMERI 27. 2.
Deo sanctum legimus, succedendi ordo clarissime probat. Coniunge,
si ueterum Germanorum leges ac consuetudines hoc in argumento
cognoscere uelis, HEINECCIVM in Elementis Iur. German. T. 1. lib. 2.
tit. 9. §. 217. sqq. et ill. PVITTERVM in Beytraegen zum teutschen Staats-
und Fürstenrecht, 2 Tb. n. 38.
- e) neque his contradico iis, quae GELLIUS tradit, in noct. Att. lib. 17. c. 6.
- f) Testatur §. 3. l. de legit. agnat. success.
- g) In comitiis enim centuriatis, ubi maximi momenti res agitabantur,
leges ferebantur, magistratus eligebantur, bella et pax decernebantur,
capitisque rei absolviebantur uel condemnabantur, efficacitas grauitas-
que suffragiorum in amplitudine patrimonii suffragantis constiebat; et
quo maius hoc, eo grauior illa, hoc autem paruo, illa maxime tenuis
erat. Cf. SIGONIUS de antiquo iure ciuium romanor, lib. 1. c. 17.
- h) CICERO in Verrem Act. 2. c. 42. s. V. ERNESTI, in CLAVE, ed. 4ta,

i) Cepiosissime atque elegantissime in eam sunt commentati F. BALDVINVS in *commentariis ad leges de iure civili, Voconiam, Falcidiam etc.*
atque I. PERIZONIUS in *triade dissertatt. diss. 2.*

ii) cit. PERIZONIUS p. m. 87.

iii) Adnuit Cl. I. o. WESTENBERG in *diff. de portione legitima, liberis, parentibus et fratribus relinguenda* I. §. 23.

iv) I. 85. §. 7. ff. de V. O. (45. I.) l. 24. et 78 ff. de conditt. et demonstr.
(35. I.) l. 161. ff. de R. I. (50. 17.)

v) Aliud, ni fallor, haud effatur BRVNNEMANNVS ad h. l. A. ubi pupillus ad alendum solummodo obstringens filium, patris *successorem*.

§. II.

Sequatur haec fragmentum CAII, lib. 12. ad edict. provinc. ubi: *in soluendis legatis et fideicommissis attendere debet tutor, ne cui non debitum soluat. Neque nuptiale munus matri pupilli vel sorori mittere. Aliud est, si matri forte aut sorori pupilli tutor ea, quae ad uictum necessaria sunt, praestiterit. Nam ratum id habendum est. Nec enim eadem causa est eius, quod in eam rem impeditur, et quod muneris legatorumque nomine erogatur. Ut reiiciatur, quae ex hac lege infertur, fratri sororem alendi obligatio, audiamus primo BYNKERSHOEKIVM, cui deinde nos quaedam addere uolumus. Iste tali commentatur modo b): Tutor non administrat sumtu, quantum possit, minimo, sed*

C

pro

pro facultate patrimonii et pro dignitate natalium, l. 12. §. 3.
b. t., seruabit itaque regulas honesti et decori, ut *uerisimile*
 est, ipsum pupillum, si maior esset, facturum. Sed pupillus,
 ubi adoleuerit, ipse reget patrimonium pro iubitu suo, siue
 honeste, siue minus, *c)* modo legem non offendat.,, Merito
 equidem assentior BYNKERSHOEKIO, cui ea, quae *b. GEBAVERVS*
 adiecit, plane non officiunt. Liberalitatis enim iniustae tutor
 pupilli diuitis iure argui nequit, *d)* cum haec alienorum
 praestatio, quippe pia causa doteque adeo fauorabilior,
 muneribus, hac in lege prohibitis nunquam accenseri
 queat, et ab ipso 1Cto non accensetur, neque non in dubio
 (cum pupillus dissensum declarare non possit) praesumtio ob-
 tingat urgentissima, pupillum subsidium quoddam charitatis for-
 rori haud esse denegaturum. Ast haec praesumtio omnino
 non in censem uenit, si maior est frater et dissensum suum
 declarandi non destituitur facultate.

a) l. 13. §. 2. ff. de administr. et peric. tutor. (26, 7.)

b) CORPVS IURIS GEBAVERIANVM lib. ff. 26. tit. 7. l. 13. §. 2. adde 1. VOETIVM in comment. ad ff. b. 2. §. 6.

c) regulae enim decori et honesti proprie me non obligant alii homini, sed mihi. C. THOMASIVS fundam. iur. nat. et genz. l. 1. c. 5. §. 24.

d) Cf. BEHMER loco supra citato.

§. 12.

§. 12.

Quae Caius de tutoribus atque ab iis expendendis uel non expendendis profert, ea VLPIANVS, ^{a)} lib. 36. ad Edictum probat, *decreto magistratus interueniente*. Sed etiam in hac lege omnia conspirant ad caussam piam atque honestam, minime autem ad obligationem perfectam, quae ne quidem cogitari poterit, cum Iure Consultus solum de *ratibabendis* loquatur rationibus, in quibus *praeflita iamiam* occurruunt alimenta. Et tuto haec tutor subministrare poterat, siquidem tutela bona fidei sit iudicium, leges ad ipsam alimentorum praestationem pupilli tacitum consensum praesumant, ideoque non ferent pupillum aut substitutum eius querentes, quod tam coniuncta persona alita sit. Quaevis itaque, quae antecedente paragrapho sunt dicta, etiam ad hanc legem referre atque in ista explicatione subsistere possemus, nisi obiectio b. A LEYSER b) attendenda esset, quam seuera fronte in uerbis fragmenti, *quin immo per contrarium putat posse cum tute agi tutelae, si tale officium praetermisserit*, fundare uidetur. Ast omnia, quae ex istis uerbis fieri possent, dubia excudit l. 12. §. 3. de administr. et peric. tutorum (26. 7) ex qua lege nimirum tutor alimenta non numquam etiam *exteris, si hoc pupillo expediet*, praestabit. Ponas itaque exterum (nemo necit, hoc nomine etiam adpellari sorores ^{c)}) alendum, tuto-

GRABOS

C 2

rem

rem contra alimentorum praestationem denegantem, simul que finges alendam fororem postea meliorem fortunam natam esse, et pupillum fratrem, cum non aluerit tutor, testamento exheredasse: et tunc omnino maior factus pupillus cum tuto-
re, qui finito officio rationem reddere debet eorum, quae uel cum facere non deberet, fecit, uel, cum pupillo utilia essent, neglexit, d) tutclae agere poterit iudicio. Num uero haec ad fratrem applicanda sunt aetatis iam iam maioris, qui suis facultatibus ipse legem scribere et absque tertii damno iacturam futurae forsan sororiae hereditatis experiri queat? Equidem existimo, non posse applicari.

a) l. 11. §. 3. ff. de tutelae et ration. distract. (27. 3.)

b) meditationes ad Pandectas spec. 325. med. 2o.

c) l. 31. C. §. 1. de iure dotum (5. 12)

d) I. L. CONRADI Ius populi romani ciuile lib. 27. tit. 3. §. 11.

§. 13.

De imponenda consanguineis ad se inuicem alendos ob-
ligatione, affictis, haud exiguum porro solatum porrigere
uidetur Iure Consultus Paulus lib. 7. ad Sabinum a) et lib. 2.
sententiarum; b) quo sit, ut colligant, si dos, quae de regula
apud maritum, ut matrimonii onera sustineat, manere debet,

constan-

constante matrimonio uxori nihilominus redditur, quo fratribus consulat, eisque alimonia praefest: omnino sequi debere, ut sit sorori obligatio fratrem alendi et quidem perfecta. Sed, mehercle! Iridem pro Iunone amplectuntur. Constante enim matrimonio non, nisi maritus ad inopiam uergat dos reddi *debet*, c) neque etiam, dum matrimonium duret, uolens maritus consentienti uxori dotem ualide soluere *poteſt*: sed si dotem ei tradiderit, haec autem acceptam consumserit, soluto aliquando matrimonio nihilominus patri, si ab eo profecta, d) uel extraneo, qui eam constituit, simulque de restitutione pactus est, e) eam iterum soluere debet, nisi iustis ex cauſis forsan reddiderit. Quae uero iustae fint cauſae, recenset Iure Consultus in adlatiſ duabus legibus, nullo modo autem maritis praecipit, ut *reſtituant* dotem, sed solūmodo eos docet, qua ex cauſa eam *reddere* sine ſuo periculo *poſſint*. Quid uero? ſi maritus dotem reddere nolit? Certe tum etiam euaneſcet uxorii facta fratrem alendi obligatio.

a) l. 20. ff. *ſoluto matrimonio* (24. 3)

b) l. 73. §. 1. ff. *de iure dotium* (23. 3)

c) H. DONELLI *commentar. de iure. Ciuii lib. 14; c. 5; p. m. 2362.*

d) l. 6. pr. ff. *de iure dotium* (23. 3)

e) l. un. §. 13. C. *de rei uxor. actione* (5. 13). l. 9. in fine C. *de pactis conuenientiis* (5. 14)

§. 14.

Ne legum et allegationum sit inopia, aduersarii etiam ex canonico iure afferunt ea, quae c. 1. X. de cohabitatione clericorum a) ex CONCILIO MAGVNTINO excerpta leguntur. Ast operaे profecto haud erit pretium insufficientiam huius capituli ad probanda, quae deberent probari, fusius docere. Nemo enim non perspicit, concilium solum iussisse, ut clerici nullam, quamvis mater, amita, aut soror sit, apud se retineant feminam: sin autem qua de his necessitatem habuerit, permisſe, ut in uico, aut in uilla domum longe a sua conuersatione habere, ibique, quae sunt necessaria iis subministrare possint. Neutquam haec uero, quae de alimentis subministrandis ibi dicuntur, tamquam uerba dispositiva sunt consideranda, quum alimenta consanguineis collateralibus tribuenda solummodo eleemosynarum liberalitatisque nomine insigniantur; ut clarissime apparet ex c. 16. dist. 86, quocum omnino coniungendum arg. c. 18. X. de testamentis et ultimis uoluntatibus. b)

a) DECRETALIVM, lib. 3. tit. 2.

b) ibid. tit. 26.

§. 15.

Vt minimum quidem, quod ad rem pertinere quibusdam uisum est, haud praetream, fas erit, etiam sanctionem D. IV-

STINIA-

STINIANI^{a)} in medium proferre, qua nimirum uult, ut, si quis habens filios legitimos relinquat et naturales, ab intestato quidem nihil omnino iis existat, *pascantur autem a legitimis naturales.* Ex ista Nouella enim non pauci, quos LAVTERBACHIVS^{b)} in dissertatione *de singulari fratrum iure* allegat, Doctores concludunt: cum adeo naturales filii a legitimis debeant pasci, eo maiorem perfectioremque esse obligationem ad alimenta legitimis consanguineis praestanda. Verum enim uero hic considerandum est, fratres legitimos non praebere a alimenta tamquam fratres, sed tamquam successores patris: non ex suo patrimonio, sed ex hereditate paterna, quae uniuersa ad se peruenit. Et hoc quidem aequitati quam maxime contentaneum uidetur; quum enim pater (ut uix dubitandum est) ad alimenta naturalibus danda fuit obstrictus, hi autem, testamento haud existente, ab omni hereditate excludantur: necesse quoque est, ut eius successores hoc alendi onus ex patris defuncti facultatibus praestandum suscipiant, eatenus tamen, quatenus sufficit hereditas et quatenus pater ipse, dum uiueret, fuisset obligatus.

^{a)} NOVELLA 89. c. 12. §. 6.

^{b)} P. 2. §. 24. qui tamen, quod ad hoc argumentum a nostra sententia haud alienus est.

Quum omnia, qui fratres ad alendos consanguineos cogere student, arripuerint, quae quodammodo utilia sibi existimauerunt: miror, cur ad suffulciendam suam sententiam argumento non usi sint, quod a libertis ad fratres procedit. a) Parentibus enim similes sunt patroni, b) ergo etiam horum liberi liberti fratribus: sed liberi patronorum a libertis alendi sunt, multo itaque magis frater a fratre, in primis cum haec fraternitas uera, ideoque fortior sit illa, quae mera est fictio. Sed fortasse illos deterruit ratio legis, c) haric alimentorum praestationem iubentis, quae in eo consistit, ut ista obligatio ex obsequio, quod a libertis patronorum liberis praestandum erat, emanaret: et sic ualeant, atque abeant.

a) LEYSERVUS loc. cit. iam iam ab alendis patronis ad alendos parentes argumentum petuit, sed, existimo, praeter necessitatem.

b) l. 9. ff. de obsequiis parentibus et patronis praestand. (37. 15)

c) l. 5. §. 20. ff. de agnoscend. et alend. liber. (25. 3)

§. 17.

Abeant quoque dissentientium argumenta, quae sententiae nostrae obuiam ducuntur. Vnum quidem adhuc restaret, quod ordinem succedendi ab intestato pro praestantissimo alimentorum uenitiat argumento, a) atque ex AVTH. post fratres

tres fratrumque filios C. de legitim. hered. b) (NOVELLA 118.c.
 3) confirmatum censetur: sed hoc argumentum iam aliunde c)
 capite est truncatum atque haud meretur, ut in eo refutando
 charta tempusque perdatur; quum maxime absurdia inde fieri
 possit conclusio, ea nimur, ut milites conductitii, proxi-
 mioribus heredibus destituti, aerarium bellicum sibi succedens,
 si hoc opibus lapsum esset, omnino alere et sustinere debe-
 rent. Risum teneatis amici!

c) Cf. ut alios taceam 1. E. BERNEGGER, in diss. *de alimentis eorumque
 computacione in detrahenda quarta Falcidina*, defensa Altorfii 1720.

b) lib. 6. tit. 57.

c) Euolua, quaeſo, III. c. G. HOMMELIVM, f. Resp. I. G. SEYFFERTVM
 in diff. *de ordine alimentorum, partui, maxime ex sponsa nato, iure san-
 guinis praefandorum*. Vitemb. 1778. §. 7. huicque potissimum iungas
 Viros ill. IVLIVM FRID. MAEBLANC ET IO. CHRISTI. SIEBENKEESIVM,
 Patronos omni honoris cultu a me prosequendos, in libello cenſo-
 rio: *Neueste Iuristische Literatur*, de anno 1779. Tom. 2. p. 310. fqq.

§. 18.

Satis adeo superque probatum esse persuasus sum, nihil
 in iuriſcscientia umquam fuisse magis vagum, magisque inane,
 quam quae ex utriusque iuriſlegibus hucusque deriuata
 splendebat confanguineorum ad se inuicem aléndos obligatio-
 nis doctrina. Legibus proinde, quae contrariam noſtræ ſen-

D

tentiam

tentiam fouere usiae sunt, proscriptis, famam peracta quoque uidetur tractatio, quum in re, legibus solummodo determinanda, a) fine lege loqui omnino pudeat Iureconsultum: uerum enim uero, ut paullo perfectior euadere possit libellus, prorsusque res eat, haud inuidia dignum censui, argumentis, quae aduersam negando, nostram simul defendenterunt sententiam, addere, quae etiam affirmando ultius eam corroborare ualarent. Duo horum potissima sunt, quae, licet fugiente haud que excuto calamo, tamen recensere iuuabit.

a) Cui enim onus alendi legibus clare atque euidenter haud est impositum, eum ad suscipiendum illud cogi non posse, docet ill. C. F. WALCHIVS
Introduct. in controvers. iur. civil. p. 73.

§. 19.

Alterum a dote procedere uidetur. Iam iam enim decisa est quaestio, antea grauissimarum rixarum fax ac tuba, num dotare teneatur frater sororem? Nigrum scimus illi additum esse calculum; a) neque amplius obstat argumentum l. 12. §. pen. ff. de administr. et peric. tutor. (26. 7), b) cum in primis manifestum sit, ex iuris romani principiis solum ipsam mulierem, uel eius patrem, uel eius debitorem dotem sine interrogatione diceret debere. c) Quod si uero simul certum, immo certissimum sit, dotem succedere loco alimentorum, d) locationenae necessariam ad ultima quasi alimenta pertinere: e)

re: e) in omnium etiam oculis defixum erit, obligationem a-
lendi numquam adfuisse, ubi surrogatum eius (ut aiunt) non
reperitur; f) proin autem sororem alimenta a fratre aucupa-
turam, spēm suam frustra in iudicis potestate collocare.

- a) BERGERVS, *econom. iuris*, p. 125. COCCEII *ius controverſi*. P. 2,
p. 157. WESTENBERG *in pandectis lib. 23. tit. 3. §. 27.* LYNKER *in*
confūtatt. conf. 156. n. 36. Amice insuper conspirat CODEX MAXI-
MIL. BAVAR. CIVIL. P. 1. cap. 6. §. 13.
- b) BERGERVS *resolutt. legg. obſtant.* ad lib. ff. 23. tit. 3. qu. 4. HUBER
in praelectt. ad hunc librum titulumque Digestorum.
- c) CONRADI *ius ciuile populi romani ad h. t. 3. lib. 23. ff.* ubi allegat
CAII institutt. lib. 2. 9. 3.
- d) MENOCHII *confilia conf. 251. n. 10. 11.*
- e) I. M. HANAVER *comment. systemat. in ius prouinc.* Bamberg. p. 7.
- f) nisi forte in casu plane singulari expresse leges statuerint exceptio-
nem. Cf. NIC. EVERHARD. a MIDDLELVRGO *locos argumentorum lega-*
tes ab alimentis ad dote atque a dote ad alimenta, p. m. 427 seqq.

§. 20.

Sub alterius argumenti praefidio nullum periculum mihi
adiisse videor quam negauerim, consanguineorum obligatio-
nem esse perfectam iudicisque coercioni subiectam. Hanc
uero meam salutem pono in legitima hereditatis portione,
quam, uno casu sublato, nimirum, si turpis vel leuis notae

D 2

macula



macula contaminata persona heres fuisset instituta, frater fratri, legibus consentientibus, recte denegare potest. a) Neque etiam fratribus ab hereditate exclusis licet in officiis quærela uti, si turpis uel leuis notæ macula onerata persona heres scripta, modo frater cum eadem laboret turpitudine; b) quod enim quisque iuris in alterum statuit, ut ipse eodem iure utatur, leges aequitasque contendunt. Sed quid legitima fratrum ad nostram litem? Immo uero multum. Nam qui legitimam alteri absolute relinquere haud debet, etiam non tenetur eum alere, c) quum haec locum obtineat alimenterum. d) Si enim frater ad alimenta praefanda cogi possit, certe etiam coactionem sentiret, ut fratrem egenum non arceret a capienda legitima, quae ei morte fratris ademitorum alimentorum solatio esset. Quum uero frater secum haud iunctae personæ omnes suas opes moriens tradere queat, atque ab harum perceptione fratrem egenum penitus excludere: res est, quam dico, nulli dubitationi obnoxia, quin frater, dum uiuit, pari iure facultatibus suis legem scribere atque ex hac, ne frater egenus earum particeps fiat, uetare possit. Cur enim hoc in argumento conditio fratris detrior censenda uiuentis quam morientis?

a) l. 27. C. de inoff. testam. (3. 28) iunge DONELLVM in comment. l. 12.
g. 4. n. 16. et COCCETIVM in iure controverso T. I. p. 413 sqq.

b) l. 17.

b) I. 11. C. de inoff. testam (3. 28) l. 47 ff. soluto matrimonio etc. (24. 3)
Statuta patria ita a romanis legibus recedunt, ut ciuibus permittant,
omnes adeo a latere coniunctos absque discriminē in testamento praē-
terire. REF. NOR. tit. 29. l. 8.

c) ill. WALCHIVS c. 1.

d) MENOCHIVS c. 1. BERLICHIR conclusſ. prætic. P. 3. concl. II. n. 2c.
et concl. 18. n. 21.

§. 21.

Denique a nostra sententia haud alienae sunt leges ger-
manicae, quarum unam (quum ad hanc commentationem elab-
orandam tam perexiguum tempus mihi fuerit, ut immanem
legum Germaniae mollem disquirere, sicque plures forsan af-
ferre haud potuerim) laudare liceat. Ipsa uicina regio hanc
praebet e CODICE nimirū MAXIMILIANEO BAVARICO CIVILI, a)
ubi Serenissimus aequē ac sapientissimus legum lator, nulla do-
ctorum opinionum habita ratione expresse sancit: *Brüder oder*
Schwestern seynd ohne Unterschied, ob sie von einem oder zweyzen
Bunden, niemals hierzu (ad onus praestandorum alimentorum)
verbunden, vielweniger moeger zweitere Blutsbefreundte oder Ver-
schwägerte von Rechtswegen hierzu angehalten werden, wo nicht
besondere Geding oder Verordnungen disfalls obwalten. Sane, eo-
que potius haec statui potuerunt, postquam Bauariae ducatus
splendidissimis institutis, (§. 24. not. c.) egestatem a sibi sub-

D 3

ditis:

ditis repellendi inopibusque succurrendi abundat. Ceterum quoque sexenti ali, quos summo cum studio euolui, Germaniae legum codices de hac consanguineorum facta obligacione silent: certissimum haudque fallax signum, eos hanc nescire atque ius romanum sequi, quod, uti iam satis dictum fuit, eam quoque reiicit. b)

a) Tom. I. cap. 4. §. 7. adde Perill, commentatorem in aureis ad hanc sum annotationibus.

b) Vnice dissidentes reperi maximi et rebus gestis et actate regis leges, quippe quea consanguineis alendi obligationem consuetis sublimibus iniungunt, in CORP. IUR. FRIDERIC. Part. I. lib. 2. tit. 6. §. 18. seq.

§. 22.

Ex hisce omnibus postremo elucet, cognatos fratribus sororibusque remotiores, neque non affines, cum adeo consanguineis istis omne legum praefidium erectum sit, nullam amplius rem adiumento sibi fore, arbitrari posse; quamvis contra negare minime audeam, aut loci peculiaribus statutis, aut successione feudali, aut pactis familiarum aliud quidquam interdum constitutum posse inueniri.

III.

et si modus obponatur? secundum opere deinde ex parte
conveniuntur illi, quae sibi sunt et consequuntur, ut
per se primum habeantur, et per se secundum, ut
eiusmodi motus et motiones sic operari aliente. Secundum
§. 23.

Superflua fortasse habebitur quaestio: cuine onus alendii
hos, quos nostra tractatio comprehendit, egenos incumbat,
postquam a consanguineis repulsum sit? Evidem ipse eam
praeteriri posse arbitrabar: uerum tamen, ne de minimo a me
intacte dimisso, accusarer, breuissimis etiam de hac sermonem
facere institui.

Simulac quis uel natuitate uel receptione ad societatem
ciuilem admissus est, etiam ius impetravit, protectionem ab
uniuersa societate exigendi, et, quod sequitur, exspectandi, ut
tunc temporis, si sibi ipse prouidere haud potest, societas ei
succurrat. Omnes enim socii ad finem communem consequen-
dae felicitatis sunt coniuncti; huic autem proposito difficilli-
me profecto fieret satis, si sociorum unus, impotens et com-
muni et sui ipsius saluti prospiciendi, inediae egestatisque cru-
ciatibus foret relictus haudque communis auxilii fieret parti-
ceps. Ea, quae singulis sociis est obligatio, maiorem rigorem
induit in principe, a) quem, tamquam societatis rectorem
omniumque quasi patrem, cunctorum singulorumque salutem

con-

conseruare oportet atque augere. Quomodo autem hic sancti sui officii partes legitime aget iusteque, si infelices miserandosque socios, cum de salute uitaque ipsa desperent, deserat, negligatque? Principis itaque est egenorum socrorum cura, quae, multiplices ob rationes, ipsi societati mandari nequit; et bonus princeps lubenter eam quoque fuscipiet, haud ignorans, quantum societas et fortasse egenus socius ipse, saltem eius maiores uel iam iam adulterint, uel adhuc illa adferat, uel in posterum adlatura sit, ut procul a curis in uoluptate, felix, sospes laetusque uitam degere queat.

a) quae notatu digna de hac principis cura CONSTANTINI MAGNI sit sententia, inuenies in COD. THEODOS. lib. II. tit. 27. de alimentis.

§. 24.

Neque uero hisce liberatos uolo ipsos socios, potius eos obstringere placet ad iuuandam singulorum inopiam suis opibus, quippe quod minime possunt recusare. a) Nullo enim sibi adiumento erit, si obiciant, fratrem ob sanguinis uinculum magis obstrictum esse, quam societas; hancque ne ille incommodum ferat, pati haud debere, ut ipsa nouo onere gravetur: in promptu enim sunt, quae illis responderi queant. Nam quod ad uinculum istud attinet, hoc plane hic considerandum non uenit: cum egenus alimenta exigens haud ea poscere

scere potest tamquam consanguineus, siquidem leges actionem ei denegant. Petet haec itaque tamquam socius, cui societas auxilium debet; et, quod ad hoc respicit, consanguineus tantum obligationis habet, quantum omnis alius socius, qui nedium nomen alendi nouit. Caveant porro sibi socii, ne de molestia oneris imponendi frustra se angant. In bene ornata re publica iam principi curae est cordique, ut ciues sibique subditi difficillime tantum ad inopiam uergant; impletus erit studio ac sollertia de commoda institutione atque educatione liberorum, qua obuiam quasi ibit luxuria, morum mentisque prauitati, uituperando otio et pessimo rerum publicarum morbo, segnitie. b) Quum autem nullo modo obtineri queat, ne ciues quandoquidem bonis opibusque fiant cieeti, horum autem duo sint genera, alterum validorum, nullocque morbo nisi egestate laborantium, alterum uero eorum, qui uictum atque amictum sibi quaerere ob corporis animique debilitatem nequeunt: iterum sollicitus erit princeps, ut illis tales adsignentur labores, qui corporis eorum animique rationibus conueniunt; hos autem, ut recipiant piis usibus destinatae aedes, uel ut ex fisco pauperibus dicato subleuentur, iubebit. Ceterum certissimum quidem est, ciues etiam ad hunc fiscum conseruandum adiumenta conferre oportere, atque ideo, si multi inuenientur egeni consanguinei, col-

E T C O M M U N I T A T E P R A D I C A T I O N I

lationes simul creaturas uideri: sed ut intelligant, quaeso, per rarum esse casum, in quo tales personae et beneficiis consanguineorum suorum penitus destituti atque simul adeo inhabiles sint, ut ne minimum quidem ad suam sustentationem ipsae adferre queant.

a) LEYSER meditari. ad Pandect. spec. 324, med. 4.

b) In regionibus Baadenibus (quantum euidem scio) egregie utilissimeque est introductum, ut omnes liberi, qui ruri degunt, omni discriminis impedimento sublati, in scholis praeter scientias etiam laborum confuescant. Et quidem pueri acu texunt, pueræ contra huic labori etiam annexantur, ut stamina neant uel lanam ducant: quo autem haec rite obseruentur, in quo cumque fere pago non solum peculiares personæ constitutas sunt, quae docent, sed etiam adsunt uiri honesti, qui omnia inspiciunt atque in debitum ordinem redigunt; quo tandem fit, ut hi parentes granem luant mulætam, immo carcere puniantur, qui, quo minus liberi scholam frequentauerint, fecerunt. Verum hisce contenta haud est SERENISSIMA MARCHIO, hoc aliaque similia aurea instituta, maxime a se fundata, protegens ac conservans, sed omni studio curat, ut natis temporibus labores puellarum puerorumque sibi ad recensum mittantur, hique, qui præ aliis insignes se praefiterunt, præmia accipiant diligentiae. Alia aliorum regionum huic pertinentia instituta praetereo.

c) Fulget inter cetera, quae hunc in finem sunt introducta, id institutum, quod Bauariam beare uidetur, eoque tendit, ut pauperes lanam, linum cannabumque digitis torquendo alimenta necessaria inueniant, de quo plura prodit Mandat. Generale de 12. Ian. 1762. et 6. Jun. 1767. apud GEGETIUM in Sammlung Kaiserlicher und Landesherrlichen Verordnungen, Tom. 2. p. 236. sqq. Institutionem hanc tam utilem duxit SERENISSIMVS BAVARIAE quondam ELECTOR, ut a lege, quae pauperes a matrimonii prohibet, diispensare promittat, si despontati probare queant, se, aut linum aut lanam, uel uerticillo uel colo rotatili præparare posse. Idem fere inuenies Durlaci per Ordinat. de 19. Apr. 1766.

1766. (apud GEGELIVM l. c. p. 309.) introductum; ob quae etiam cum Durlacensium subditorum CLEMENTISSIMA BENIGNISSIMAQUE MATER experta esset, plures hac in arte rudes fuisse, sicuti diximus, cœravit, ut in schola iamiam haec doceretur.

- d) Locus hic non est disquirendi, qua ratione tales domus erigendas conseruandaque sint, quo modo pauperum fiscus et principis et ciuium liberalitate sustinendus, illique quaedam uectigalia, tributa ac mulctae addicenda sint. In singulis enim sere territoriis peculiares existant ordinaciones hoc argumentum tractantes, et quod ad theoriam respicit, meum non est noua docere, cum pereximiis hac in materia abundemus scriptis. Cf. BERGIVS *Policey - und Cameral - Magazin*, sub uoce: *Armen - Anstalten, Wittwen - und Waifenvorpflegung, Zucht und Arbeitshaefter* rel. I. H. G. de IVSTI die Grundweste zu der Macht und Glückseligkeit der Staaten, Tom. 2. §. 306. sqq. I. de SONNENFELS *Grundsætze der Policey, Handlung und Finanzwissenschaft* Tom. I. §. 209 sqq. Perill. F. C. G. LIB. BARO AB HOHENTHAL *liber de politia*. §. 43 sqq. ibique allegata. Instar omnium adhibe: *allgemeine Politywissenschaft* in Th. p. 514—533. 2r Th. p. 335. 353. 406. sqq.

§. 25.

Arctior denique ista ciuium obligatio efficitur, cum rei publicae quam maxime expeditat, consanguineos egenos a suis consanguineis haud exigere posse alimenta. Illi enim, non semper optimorum morum homines, nec semper integerrimi animi, si praesidium in consanguinitate sciunt, otio se committunt, et bonis lapsi, a lege inuitati atque audaces facti, delinquere conantur. Hi contra, non omni tempestate ad beneficiendum proni, repellunt consanguineum alimenta exigentem, cumque obligatio haec ex communi opinione subsidaria tantum existimatur, uerborum maxima copia obganniantur: se sufficientibus facultatibus haud esse instructos; contra alienum bene adhuc posse sibi de alimentis prospicere; ipsum cum

E. 2.

poscen-

poscentem infortunii sui conditorem nulliusque frugis fuisse; ingratu iafestoque animo erga alitum egisse, et quae huiusmodi plura. Et quid nunc euenit? Aditur iudex; hic in ius vocat; cauſam, quod priuilegiata est, summarie (id, quod multis idem est atque tumultuarie) tractat; fort sententiam; imponit obligationem; ius reddit. Reus commotus non ad benevolentiam, uerum ad iram, amplectitur quoddam remedium iuris; maximum oritur bellum. Interim egenus actor, pauperum iura facillime impetratus subministrationem sumtuum litis ab aduersario poscit; decernuntur, simulque alimenta judiciali auctoritate extorquentur; tandem confirmatur prior sententia. Iterum reus ad superiorem prouocat et post atroces pugnas absoluſt. Gaudet nunc de uictoria, dolet autem simul facturam omnium bonorum, quae, (uera historiæ subest) interea facta sunt publica praeda. Egenus consanguineus amittit alentem, uxori et liberi patrem et maritum, res publica ciuem antea felicem, quid? quod cum unus antea alegendus fuisset, duo nunc et plures alimonia publica postulent. Ast omnia haec cessant, si statim ab initio res publica alimenta praebet ipsa egeno: nam si haec alit, omnes sciunt, tunc accuratius inquire, num, qui uidetur inhabilis ad se sustinendum, etiam re uera talis sit? num dignus commoda sustentatione, an indignus censendus? Tollitur simul delinquendi occasio, exſiccatur fons quaedam perpetuarum litium, et nemo dein uere pauperior euadit; quo maior enim numerus est horum, qui conferunt, eo minores in partes diuisa uenit summa, quae conferenda.

Kd 456.

ULB Halle
006 663 516

3



VD 78



B.I.G.

Black

Magenta

White


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



SPECIMEN IVRIS CONTROVERSI

DE

IMPERFECTA
FRATRVM SORORVMQVE
AD SE INVICEM ALENDOS
OBLIGATIONE

AVTORE
FRIDERICO POPPIO

IVR. VTR. LIC.



Hd. 466

NORIMBERGAE

FROSTAT APVD I. G. SCHNEIDERVM

I 7 8 I.

20.3.06.

